

Dissertatio inauguralis de cystitide / [Colin Sievwright].

Contributors

Sievwright, Colin, -1818.

Publication/Creation

Edinburgh : J. Ballantyne, 1815.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/yct5475h>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

2

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

CYSTITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO ;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

COLINUS SIEVWRIGHT,

SCOTO-BRITANNUS,

IN EXERCITU BRITANNICO CHIRURGUS.

Calend. Aug. horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCI.

—
1815.

DISSEMINATIO INAGURALIS

DE

CYSTITIDE:

opus

ANATOMICO-MEDICO

ET PHYSIOLOGICO-MEDICO

DE ECOLOGIA MEDICO-TR

ANATOMICO-MEDICO

109771 GILLES, F.

ANATOMICO-MEDICO COMMUNI

LIBERIS ET DOCTRINA

ET MORALITATE MEDICO-DISCIPLINA

IN SIGNI



CONTINUUS SCIENTIA MATERIA

SCIENTIA MATERIA

2

IN EDITIONIBUS BRITANNICIS CHIROPGRAPHIS

1890 A.D. PRINTED BY C. D.

EDINBURGH:


PRINTED FOR THE AUTHOR BY J. W. PARKER & SON LTD.

1890

CELEBERRIMO VIRO,
JOANNI GILLIES, L. L. D.
LITERIS ET DOCTRINA
IN SIGNI,
HOC OPUSCULUM,
OBSERVANTIÆ ET GRATI ANIMI
PIGNUS,
D. D. CQUE
AUCTOR.

ROBERTO STELLA
CELESTE RUMMO ALBO
ARMIGERO
JOANNUS GUILHERMUS LIPSIUS
DE ADOAIE
MELLING ET DOLTRINA
ALBO
OMANUS VITTORE
HOC
PREDICO
HOC ET CORDA AVIMA
TESTIMONIUM
OFFERTUR
CONUNS SIGILLAM RICHT

ROBERTO SPEID,
ARMIGERO,
DE ARDOVIE,
VIRO,
OMNIBUS VIRTUTIBUS,
PRÆDITO,
HOC,
AMICITIÆ TESTIMONIUM,
OFFERT,
COLINUS SIEVWRIGHT.



Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b31924529>

JOSEPHO LOWE, M. D.

AVO MEO CARISSIMO,

PIETATIS TESTIMONIUM,

HOC PRIMUM IN MEDICINA TENTAMEN

SACRUM

VULT,

COLINUS SIEVWRIGHT.

DIASTRETTIO
SOSPITO LOWT M.D.
VAD MO CARISSIMO
DE CAYATITI D
HETATIS TESTIMONIUM
HOC PRIMUM IN MEDICINA TENTAMEN
AC TOTAE COPINGA AESTHETICAE
SACRUM

ACT

CONTRIBUTIONE ALLA MEDICINA
Per il Dr. Giacomo Sartorius, Medico di
Bergamo. Scritto da lui stesso, e pubbli-
cato con la sua approvazione dal Prof. G. P. Vassalli
di Padova. Il quale ha voluto che questo
scritto fosse pubblicato, per darlo a tutti
i lettori, come un'opera di grande
interesse, e di grande utilità.

DISSE

22

INAUGURALIS

D E C Y S T I T I D E.

AUCTORE COLINO SIEVWRIGHT.

HUMANI corporis nullum est organum,
cujus, morbi, functiones systematis magis per-
turbant, quam vesica urinaria. Neque ulla
est pars quam haecce, quæ alias laesas esse,
pleniùs clariùsque ostendit. Rebus ità sese
habentibus, omnes medici peritissimi, a pri-
mis medicæ scientiæ originibus, usque ad
tempora hodierna celeberrima, animos condi-

A

tioni urinæ quam maxime potuerunt, semper dederunt; et haec res eandem esse summi momenti sine dubio probat. Numerus morborum quibus hocce organum delicatissimum obnoxium est, æque ac consensus inter omnes corporis partes, tum medici, tum Chirurgi attentionem jure sibi vindicat. Nulla etenim morborum classis est, quibus illius scientia, hujusve solertia, ad symptomata affectiones urinarias semper sequentia removenda, pernecessaria sunt. Neque affectionum organi hujusce ulla est, quæ majus periculum, doloremque angentem inter progressum adfert, et quæ sequentia pejora necessariò reddit quam Cystitis, sive vesicæ inflammatio. Hunc in morbum gravissimum, mentem meam sedulò incubui, quia mihi ad plurima ejusdem exempla observanda de quibus postea mentionem pleniùs faciam, haud rarò contigit.

Quum Cystitis forma in Idiopathica minime saepe sese ostendat, et quum auctores

chirurgici eundem morbum symptomaticum tantum cogitaverint, hicce, a plurimis medicis summo cum silentio omnino praeteritur.

HISTORIA MORBI.

Cystitis a Culleno Celeberrimo ita definitur. “ Pyrexia, Hypogastrii tensio et dolor ; mictio frequens dolorifica vel Ischuria, Tenesmus.”

Pyrexia quae Cystitidem sequitur, ei, quae in inflammationibus visceralibus generatim tenetur, simillima est. Pulsus, facie adhuc floridâ, et parvus et durus ; calorque in cutis superficiem, quae et sicca et arida restat, immodicus est. Humor, nihilominus, miseriis aegroti minimè imminutis, plus ex dolore angente, quam ex eventu felici oriens, non nunquam sese ostendit. Aeger, tum comate, tum stupore, tum capitis dolore immodico,

tum vertigine, linguâ et alba, et foeda, et sicca, et arida existente, haud raro laborat. Ab initio morbi, rigores iis similes ex partium internarum suppuratione orientibus, siti immodica simul invadente, gustuque singulari urinario in ore existente, in miserrimum saepè impetum faciunt. Magnâ quoque æger pro acidis liquoribus cupiditate, cui si pareat, dolores suos valde adauget, tenetur. Sanguis detractus, si frigescere liceret, coriaceam albam, ut aliis in affectionibus inflammatoriis, ne quidem ab initio morbi tam multùm ostendit. Tumor, præcipue horis aliquibus ex morbi impetu elapsis, in regionem Hypogastricam, cui dolores angentes adsunt, observatur. Nihilominus in memoria tenendum esset, eundem spe minorem sæpe evadere. Vesica enim, aut urinæ secretione redacta, aut orificiis uriterum ab inflammatione clausis, aut tunica musculari vesicæ ipsius valde contracta, distentionem facilè minimè patitur.

Dolor, pressurâ tumori adhibitâ major fit ; exteriùs ad inguina, sursùmque, ad renes, uriteres sequens, cursum dirigit. Ureteres et renes nisi valdè affectæ sint, testes retrac-
tione minore, quam in Nephritide tenentur ; atque stupor et dolor secundum femur, minùs inquietis adferunt. Multum doloris, nihilo minus, in cursu urethræ atque ad penis ex-
tremum, cupiditate præputii protrahendi in-
vadente, adest. Dolores, autem, finibus supra
dictis minime teneri, sed totum abdomen
pervadere, formamque colicorum sæpè assu-
mere, memoria dignum est. Æger, urinam
reddere raro potest ; cupiditas mictionis ni-
hilo minùs maxime anget, dolorque guttarum
paucarum omnem per urethram quæ liquore
fervente perfundi judicatur, vix ac ne vix
quidem intolerabilis est. Hoc, ex spasmo cer-
vicem vesicæ urethramque invadente, æque
ac ex eorundem inflammatione oriri, ni fallor
mihi videtur. Rebus ità sese habentibus

urina reddita colore croceo gaudet, et sanguine commisceri videtur. Neque hic loci silentio praeteriendum est, Ischuriam dolentissimam, omnibusque remediis, nisi actio inflammatoria in vincula injecta esset, repugnantem, muco sub morbi finem glutinoso ex urethra progrediente, sanguine commixto, sœpissimè invadere. Tenesmus inflammationem vesicæ semper comitatur, atque dolores, quam symptomata alia, magis cruciantes, adfert. Rebus ità sese habentibus, aeger, fæcibus velut in Dysenteria in scybala, ex contrac-
tione tunicae intestinalium magnorum mus-
cularis orientia, factis, evacuationem alvinam
vix ac ne vix quidem habere potest. Æger
crura sua ad corpus, velut in Herniâ attrahit,
atque quiete, cum in latus recumbat, gaudet.
Neque hic loci alienum observare videtur,
miserrimum positione in erecta sedere mini-
mè saepe posse, atque labores ejus, omnem
inter motum, velut tussim, vomitumque, &c.

impetu a spasio in musculos abdominales facto, semper augeri. Æger quoque, mentis pathematis deprimentibus, anxietate magnâ, omnem inter motum, opprimente laborat. Rei biliosæ rejectio, desiderio cibi absente, dolore autem ventriculi angente, adest. Neque ullo modo obliviscendum est, sitem, ærumnis miserrimi gravissimis, omnem inter morbum ansam praebere.—Historiam imperfectam, vesicæ inflammationis supra traditam, ex exemplis quæ mihi observare contigit, facere ausus sum, et duo ex his narrare, quam brevissimè potero, memet postea accingam.

TERMINATIO MORBI.

Hic morbus, ut aliæ phlegmasiæ, vel in resolutione, vel in suppuratione, vel in gangrena, terminari potest. Harum omnium suppuratio, ni fallor, multò frequentissima est. Haec terminatio, remissione tum doloris,

tum tensionis partiali, pure cum urina commixto, rigoribus, febreque hectica supervenientibus, cognoscitur. Resolutio et gangræna, per effectus, totum in corpus facillimè discriminantur. Spem autem resolutionis, quadragesimâ horâ elapsâ, nisi urina antea reddita fuisset, fovere inane est. Vir, qui suppurationem post horam sexagesimam expectat, aquam ex cribro haurit. Sin autem urinæ secretio diminuta esset, et symptomata nimis longè procedissent, inflammatione renum sympathica invadente, minùs periculi, quam si vesica pleniùs distenderetur, adfertur. Exitus autem, de urinæ quantitate, quam vesica tenere potest, perplurimum, sine dubio pendet. Varia enim exempla memoriæ traduntur, in quibus plurimæ fluidi libræ sine injuria teneri possent, alia autem cum libræ singulæ, symptomata imminentia citò protulerint. Schirrosis vesicæ, terminatio Cystitidis nec non habetur. Hæc res, vel apud vesicæ cervicem,

vel apud partem muscularēm triangularem,
inter cervicem ureterumque orificia, existen-
tem, vel apud glandulam prostatam sese fert.

CAUSÆ.

Vis, in partes vesicæ vicinas, velut vulnera,
&c. hujus morbi causa est longè frequentissi-
ma. Cystitis, præterea, inflammatione augente
ex Gonorrhæa, ex stricturis in urethra, ex
schirrosis prostate vesicæque cervicis, nec
non ex Hæmorrhoides, aliisve apud rectum
tumoribus, ex fæcibus induratis quoque, ex
fistula in ano, affectionibusque dysentericis,
originem suam sæpissimè dicit. Acria quo-
que in corpus assumpta, velut Cantharides
æque ac Calculi, hujusce, causæ procul dubio
habentur. Neque hic loci obliviscendum est,
stricturas uno in exemplo lethales, et ampli-
ficationi et sphacelo, in pene, testibus, et ve-

sica ansam praebere. Cystitis ex vulneribus vesicam ipsam penetrantibus symptomata et pauciora et minus imminentia quam ex inflammatione aliis in partibus generat. Symptomata gravissima, ex organi supradistentione ut ex eventibus Lithotomicis felicibus apparet, oriuntur. An Cantharides, aliaque acria suos vires, organa in urinaria, vel augenda secretione, vel dotibus stimulantibus, produnt, aqua mihi hæret. Hic loci, Cystitidem, paralysi sphincteris, æque ac aliae causæ redditionem urinæ prohibenti adscribendum esse dignum est memoriae tradere.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS, sine mora et labore facienda sit. Sedes doloris, et Tumor et Ischuria, et urethræ irritatio, Tenesmusque Cystitidem ex Nephritide facile distinguunt. In Nephri-

tide, dolor in regiones iliacas sese magis porrigit, aegrotusque crura sua minùs violenter in truncum attrahit. Neque nostræ rei alienum, membrum et paralysi, et stupore minùs laborare, atque in Nephritide, latus unum, morbo teneri, addere videtur. Symptomata supra dicta, deinde, si imo in pectore reposita essent, naturam morbi facillimè ostendent. Pretium operæ mentionem facere nihilominus erit, vel aliquid symptomata generale vel aliquem rerum urinariarum morbum chronicum Nephritidi præire; Cystitidem autem vel aliqua ex causa externa evidente, vel ex inflammatione augente plerumque orientem, repente invadere: Quum hic morbus vel a Calculo, vel ab alia re in vesica acri, vel a tumore, præsertim si Ischuria eidem præiret, suam originem ducat, diagnosis, deindè, difficilior fit. Rebus autem ità sese habentibus, a symptomatis præcipuis nostris in consiliis ut dirigamur oportet.

PROGNOSIS.

IN conjicendo de morbi exitu, partem tam maximi, structuræque delicatissimæ, invadentis; tum causis præeuntibus, tum symptomatis comitantibus, tum progressui morbi, tum effectibus in systema universum, opiniones nostræ haud dubie faciendæ sint. Quum Cystitis, forma idiopathica gaudeat, spem deinde exitū felicioris, quam si ab ulla re irritante oriretur, sine dubio fovere licet. Rebus enim ità sese habentibus, inflammationem præsentem, in aliis autem causam excitantem, quod quidem saepissimè haud fieri potest, amovere opus est. Si morbus e fonte acrīum ingestarum, urinæve retentæ, symptomatis haud violentis, urinaque facillimè detracta flueret, aeger sine dubio victoriam reportabit. Quod si vel Calculi, vel Tumores morbo ansam præbuerint,

exitus infaustus, quum causæ, Inflammatione redacta, adhuc restabunt, expectetur oportet. Nec non dignum memoria est, ut si Cystitis originem ex inflammatione sese extendente haberet, eventum feliciorem, nisi res extraneæ veluti ossis fragmentum, &c. partibus irritationem præbeant, præstolari fas est. His rebus jam jam recensitis, de quibusdam symptomatis faustis memorandi præcipua nunc breviter initium faciam. In primo igitur agmine, doloris remissio, tensionis, febrisque post profluvium urinæ liberum quamvis sanguine commistæ haud dubie ponenda sunt. Mictione liberè et facilè facta, miseriæ aegri alis sese procul dubio dabunt. Evacuatio alyi nec non miserrimo solatio est. His rebus supra dictis, quædam de infaustis breviter addam. Dolores et angentes et durantes, tremores urgentes, sudores frigidi, doloresque totum per abdomen vagantes, plurimus vomitus, singultus, anxietas, nausea, respiratioque

difficilis, apud prima pro certo enumeranda sunt. Haec omnia, procul dubio, doloribus subito cessantibus, facie Hippocratica, pulsusque tum debili, tum intermittente existentibus, sudoribus et frigidis et glutinosis caput ambientibus, mortem instantem miserrimo intentant. Suppuratio autem quum ingressa fuerit, symptomatis imminentibus nihilominus foro cedentibus, urinâque liberiùs redditâ, quod timeatur plus quam satis est, sine dubio erit. Ulcera enim vel sese patendi, febrisque hecticæ excitandæ vel formæ inflammatoriæ assumendæ potestatem habebunt. Quod si suppuratio fines intrâ arctos teneri possit, aditusque eidem in anum obtinetur, syste- mate tunc temporis haud multum turbato, bene, a medico sperandum est. Sin autem haec eadem, ulla forma vel loco gauderet, ne sphacelatio latius porrigens, incursum exitia- lem faceret, pessimè timeatur, oportet.

RATIO MEDENDI.

CONSILIA medendi tria sunt. 1^{mo}. Medicum, evacuationem urinæ elicere, si ullo modo fieri possit, decet. 2^{ndo}. Inflammationem subigere. 3^{tio}. Causam excitantem amovere, oportet. Haec tria consilia uno eodemque tempore, nam, rem aliam, sine alia adjuvanda, auxilio miserrimo venturam esse, haud nostrum est concipere, quam brevissimè absolutam. Venæsectio, ut aliis in morbis typo inflammatorio gaudentibus, prima in acie, sine dubio esset; quippe quæ res in sistema universum et longius et latius pollet, atque facilimè peragi potest. Operatio autem, modo paululum diverso, ac aliis in Phlegmasiis, vesica præsertim distentione laborante, faciat, oportet. Dignum quoque memoriæ est, Medicum inflammationem velut localem po-

tius quam generalem habere, atque symptoma generalia, ut ex consensu nervoso inter vesicam aliasque partes orientia, tractare decet. Hoc tempore sine dubio mihi fas erit, theoriis omnibus abjectis, mentionem facere, de re quam mihi observare saepissimè contigit; nempe, venæsectionem in Cystitide magnam, celeriterque factam usque ab initio morbi, debilitatem tum inopinatam, tum lethalem, symptomatis localibus, minus quam a venæsectione topica, deinde sublevatis, semper creare. Sanguis detractus, atque frigescere permisso, coriaceam albam, ut supra dictum erat, minimè ostendit; atque haec res, me judice, actionem inflammatoriam, topicalam, potius quam generalem, esse, indicat. Quum res ita sese habeant, sanguis, per hirudines, vel perinæo, vel regioni Hypogastricæ applicatas, ni fallor, detrahendendus esset. Vena magna ipsius penis, pene ipsa tumentia, vasisque turgidis, et facile, et tutò dis-

secari potest. Haec res, tum constrictioni urethræ spasmodicæ, tum vesicæ ipsæ sublevabit. Neque dubitandum est, quin copia sanguinis satis magna, a pene ipsa, fomentationibus calidis ritè, sedulóque, adhibitis, obtineri possit. Quum autem, venæsectionem topicam, bonis lateribus suadeam, meum consilium, venæsectionem generalem parvi pendere, minimè esse sedulóque caveatur. Haec res e contra, et rite, et sine mora peragenda est, cum illius compotes nequaquam esse possumus. Fomentationes quoque, tum in regionem Hypogastricam, tum ad Perinæum applicatæ, constrictioni vesicæ, ni fallor, multum auxilii ferent. In omnibus rerum urinarium morbis, applicationes calidas, miserimo, majori utilitati, quam frigidas esse, quippe quæ res, et spasmum et inflammationem augent, sedulò observavi. Dignum quoque memoria est, res frigidas, hoc in morbo, minimi aestimandas esse; nam hae res, nisi et lon-

gum, et constanter applicatæ (atque hæc eadem, summo sine incommodo haud fieri potest) aegro, auxilio vix, ac ne vix quidem veniunt. Ob has igitur causas, fomentationes calidæ partibus, et cautè et sedulò, et constanter, me judice adhibendæ sunt. Frigidæ, enim, symptomata, nisi animus me fallit, augent, potiùs quam diminuunt. Si aeger positionem suam mutare velit, illi calidis aquæ vaporibus uti sedenti, quippe quæ res, Tenes-
mum, ut in Dysenteria observatur, haud dubie licet.

Purgantia, venæsectioni hoc in morbo nifallor remedia secunda sunt. A Medico autem ne res et acres, imasque intestinorum partes præcipue incitantes veluti aloes, &c. adhibeantur, sedulò caveatur. Haec enim ad inflammationem topicam, aequæ ac morbum ipsum inducendum proclivia sunt. Neque purgantia salina viribus diureticis prædita, hac in re, nostram commendationem obtinere pos-

sunt. Submuriæ Hydrargyri, nisi animus fit laevis, omnium in Cystitide purgantium est facilè princeps. Hoc remedium, magnis in dosibus ut granorum XII. vel XV., opique grano uno vel duobus conjunctum, irritacionem prohibere oportet. Praeter medicamenta supra dicta, enemata emollientia summo cum fructu juberi possint. Nam haec remedia, haud solum pro purgantibus, sed etiam pro fomentationibus utilia erunt. Ex omnibus supra memoratis, Cantharides nullo modo feliciter præscribi posse, facile constat. Nec Sinapismata, nec ullum aliud Epispasticorum genus miserrimo, hoc morbo laboranti plurimum auxilii ferent.

Diaphoretica quoque, si actio eorundem, diuretica amitteretur, attentione Medici dignissima sunt. Pulvis Ipecacuanhæ compositus parvis in dosibus administratus, atque paululo Tartritis Antimonii commixtus, plurimum boni hic loci præstabit. Opium

autem nisi modo supra dicto, præscriptum, quippe quæ res, plurimam sitem, quâ indulgere periculosæ plenum opus aleæ est, crearet, summa ope evitandum est.

Diluentia, me judice parcè præscribenda sunt; nam secretionem urinæ augebunt, atque distentionem vesicæ promovebunt. Ad sitim removendam, acetum, succusve limonum in ore brevi retenta, me judice, plurimum conferent. Cobaïba, Terebinthina Canadensis, et similia, inflammatione urgente, mala sunt remedia. Haec autem, inflammatione tergum vertente, morboque suppurationem excepto, medicamentis cum diureticis commixta, atque cum diluentium abundantia adjuncta et liberè et tutò administrari possunt.

Omnibus Medicamentis, ad inflammationem amovendam inutiliter præscriptis, et præser-tim si vesicæ distentio adesset, vel si timor gangrænæ medicum invaderet, puncturâ in vesica ad evacuationem obtinendam opus est.

Hæc punctura, per Rectum, et tutissimè, et facillimè, effici potest.

Si aeger ex morbo tam ancipiti convaluit, omnem intemperantiam, cibumque acrem, per longum evitare opus est. Summam ejus curam autem, tum exercitatio modica, tum cibus facile concoctus, tum canalis alimentariæ conditio, jure sibi vindicant. Res jam dictæ quoque, exemplis suppurationem subeuntibus, reque chirurgica indigentibus, me judice, auxilio venient. Morbus autem, quum Schirrositas suos incursus, signis hostilibus, fecerit, insanabilis videtur. Rebus autem ità sese habentibus, Conium Maculatum, Uvam Ursi, cum Cobaiba et dosibus submuriatis Hydrargyri parvis præscribere licet.

CYSTITIDIS CASUS.**EXEMPLUM I.**

PRÆFECTUS, quadraginta annos natus, habitu plethorico, vulnus scloppeticum accepit, quod, injuriam tum vesicæ, tum recto, ferebat. Glandulus plumbeus circiter digiti dimidium supra Symphysin Pubis penetravit, atque paululum supra Anum in obliquum egressus est. Cum omnis urina secreta per Vulnera transierit, nulla symptomata infelicia, vel ex Ischuria vel ex Tensione orientia, sed omnia alia antea memorata, sese signatè ostendebant. Oleum Ricini, ore adhibitum, per vulnus transiens, scrupulos omnes de Recti Injuria in fugam celeriter vertit. Catheterem in vesicam emittere, urethrâ tam arctè constrictâ, incassum molitur. Hæc res, ne urina in

partes internas sese diffunderet, quippe quæ res, vix, ac ne vix quidem evitari potuit, valdè exoptanda esset. Ægroto, donec horæ quinquaginta, post injuriam acceptam, elapsæ essent, nulla erat dejectio; nihilominus, omnia Symptomata inflammatoria, die quinto minùs præterito, rebus supra memoratis, vinculis tenebantur. Urina, inter mensem dimidiatam, cursum ejus solitum capiebat, atque miserrimus, nisi quod musculi abdominis Recti, propter Sphacelum supra memoratam sese tam maximè contraxissent, ut æger vix, ac ne vix quidem, corpore erecto ambulare nequiret, atque urinam suam, vesicâ plus quam solitum est, contractâ, præter horas paucas haud retinere potuisset, penitus convaluit. Neque dubium sit, quin Rectum nimis quoque contrahatur, nam Infelix, et Hæmorrhoe, et Diarrhæa et alvi constrictione haud raro laborabat.

EXEMPLUM II.

Miles, vulnus supra Symphysin Pubis accepit. Glandulus plumbeus cavitatem abdominis minimè penetravit, sed Integumentorum partem, atque ossis fragmentum attrahens, in obliquum processit. Penis ab injuria vacuus erat, atque miserrimus, horis paucissimis elapsis, sese movere potuit. Omnia autem Cystitidis symptomata, systemate tunc temporis plurimum turbato, impetum demum fecerunt, atque citra horam trigesimam et octavam, quamvis ægre repulsa, essent. His rebus factis, infelix sanitate iterum gaudebat.

EXEMPLUM III.

Aliud exemplum, ictu effectum, sese mihi fortè offerebat. Hic loci Sphacelus factus erat, atque miserrimus, horis septuaginta minimis elapsis, mortem subiit. Dissectio, hoc in exemplo, tum de causa proxima, tum de morbi effectibus, me certiorem fecit; atque hæc brevissimè narrare, ni fallor, nostræ rei haud alienum est. Inflammatio secundum ureteres, prope ad renes cucurisset, atque portionem vesicæ peritonealem invasisset. Quantitas vel muci, vel puris (nam mihi eadem scrutandi haud facultas erat,) minimè parva, tunicam vesicæ internam oblevit, atque nulla ejusdem pars, nisi prope ad Anum sphacelare coepisset. Glandulæ prostatae tum amplificatio, tum Inflammatio erat; atque vesicæ cervix, et Urethra, omni ex parte, contractione tanta, tunicâ internâ tam plurimum

densatâ, ut instrumentum minimum accipere nequiret, laborabant. Tunica Recti peritonealis quoque, plurimos per digitos, inflammationem subierat, atque exuere quidem cæpisset. Fæces duratæ in curvatura Coli sigmoidea etiam repertæ erant ; atque tunicæ ejusdem, æque ac Recti, densationem tantam laborabat, et eorundum diametrum contractionem tantam perpessum esset, ut digitum vix, ac ne vix quidem accipere posset. Hoc in exemplo, tensio abdominis minor ac in aliis supra traditis erat ; atque hæc res, me judice, de urinæ quantitate minima vesicam intrantis, Ureteribus inflammatis, plurimum pendebat.

FINIS.